

Ferns Diocesan Statutes, 1722

Author(s): Patrick J. Corish

Source: *Archivium Hibernicum*, Vol. 27 (1964), pp. 76-84

Published by: Catholic Historical Society of Ireland

Stable URL: <https://www.jstor.org/stable/25487372>

Accessed: 21-07-2021 15:41 UTC

JSTOR is a not-for-profit service that helps scholars, researchers, and students discover, use, and build upon a wide range of content in a trusted digital archive. We use information technology and tools to increase productivity and facilitate new forms of scholarship. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

Your use of the JSTOR archive indicates your acceptance of the Terms & Conditions of Use, available at <https://about.jstor.org/terms>



JSTOR

Catholic Historical Society of Ireland is collaborating with JSTOR to digitize, preserve and extend access to *Archivium Hibernicum*

FERNS DIOCESAN STATUTES, 1722

Edited by
REV. PATRICK J. CORISH

The statutes printed here were issued on 17 April 1722 by John Verdon, bishop of Ferns from 1709 to 1728. The text depends on two manuscript copies in the Franciscan Library, Killiney (MS C 105), which originally belonged to the Franciscan house in Wexford. One, which I have designated A, is a twelve-page document (the last two pages being blank), approximately 12" by 7½". The other, B, is made up as a small booklet of thirty-eight pages, c. 6" by 4", the last three pages of which are blank.

The manuscripts are obviously several removes from the original. A note at the end of A makes it clear that it was written after 1745, the year Nicholas Sweetman became bishop. Both give a very much corrupted text. The scribe of B added at the end a note in English:

Dear reader, be pleased to excuse the clark for the faults committed therein: for upon my word I could not well avoid them, because the exemplar I used in writing of this was full of errors, and verry grose ones.

The manuscripts are independent copies, however, having few if any errors in common, and where both give the full text it is usually possible to reconstruct the original fairly accurately. The scribe of B at times resorts to paraphrase, especially towards the end, apparently despairing of his exemplar, and a few individual words in passages contained in A only have defied emendation. Fr Seamus Creighton of Summerhill College, Sligo, has informed me that no copy of these statutes is to be found in the Propaganda Archives. Possibly no copy was ever sent to Rome; or if sent, it was lost on the way.

Comparison with earlier statutes is another help in restoring the text. From the beginning of the seventeenth century many synods were held in Ireland to promulgate the Tridentine law and where necessary adapt it to Irish conditions. In the text of Bishop Verdon's statutes there is one explicit reference to the council of Trent. Echoes of the Tridentine reform-decrees are so numerous that it would be impossible to list them individually.

There is one explicit reference to the national synod of 1670, and several to the synod of the province of Dublin in 1685. I have noted further instances where legislation from these synods is repeated without explicit reference to them. References to at least four other local synods are so clear that it must be concluded that the bishop had the text of their decrees before him, that is that in all he used directly at least six previous local synods. They are:

1. **Provincial synod of 1614.** Decrees printed in *Constitutiones Provinciales et Synodales ecclesiae Metropolitanae et Primatialis Dublinensis*, Dublin 1770, pp. 1-74, and reprinted in Moran, *History of the Catholic*

Archbishops of Dublin since the Reformation, Dublin 1864, pp. 439-63. I have cited from this latter as being the more accessible, as follows: *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*.

2. **National synod of 1670.** Decrees in Moran, *Memoir of the Venerable Oliver Plunket*, ed. 2, Dublin 1895, pp. 132-4, cited at *Statuta . . . ab archiepiscopis et episcopis*, 1670, Moran, *Oliver Plunket*.

3. **Provincial synod of 1685.** Decrees in *Constitutiones*, pp. 82-88, cited as *Acta . . . in concilio provinciali*, 1685, *Constitutiones*.

4. **Dublin diocesan synod, 1686.** Decrees in *Constitutiones*, pp. 89-112, cited as *Statuta pro dioecesi Dublinensi*, 1686, *Constitutiones*.

5. **Provincial synod of 1688.** Decrees in *Constitutiones*, pp. 124-27, cited as *Acta . . . in concilio provinciali*, 1688, *Constitutiones*.

6. **Dublin diocesan synod, 1689.** Decrees in *Constitutiones*, pp. 127-28, cited as *Acta . . . in synodo dioecesana*, 1689, *Constitutiones*.

There seems to be nothing which might be regarded as a direct citation from the provincial synod of 1640 (*Constitutiones*, pp. 75-79, Moran, *Archbishops*, pp. 463-65), but Bishop Verdon may very well have possessed a copy of its decrees.

Constitutiones dioecesis Fernensis¹

1. Pastores sint semper memores suae vocationis, seipsos bonorum operum praebeant exemplum, opere et sermone gregem pascentes, charitate fraternitatis invicem diligentes, benignitatem et patientiam omnibus ostendentes. Harum constitutionum copiam intra semestre singuli habeant sub poena suspensionis latae sententiae Ordinario reservatae, saepius legant et diligenter observent ad Dei gloriam et animarum salutem.

2. Nullus pastor discedat a suscepta animarum cura, nisi prius in officio integrum annum compleverit; expressam Ordinarii licentiam obtineat, quem sex mensibus antequam discedat admoneat, ut de alio provideat; nec quisque parochorum a suo praecinctu discedat nisi deputato prius alio sacerdote idoneo qui curae advigilet; quodsi ultra biduum abfuturus sit licentiam ab Ordinario ob graves et justas causas obtineat.

3. Singuli altare lapideum habeant consecratum, tribus mappis mundis vestitum; calicem ex argento nitidum; pixidem argenteam; corporalia, purificatoria, alba, et reliquae vestes sacerdotales, aliaque paramenta altaris sint semper integra, munda, et diligenter custodita.²

4. Unusquisque habeat Missale, Rituale, Breviarium, et aliquos libros suo muneri congruos de casibus conscientiae et doctrina christiana tractantes; horas canonicas studiose ac devote recitent, sacras Scripturas ac libros spirituales saepe ac attente legant; honestatem clericalem in

¹ The title in MS B is: 'Statuta, decreta, et ordinationes dioecesis Fernensis anno Domini 1722'. The reference to 'harum constitutionum' in no. 1 below suggests that the title as printed, from MS A, is more likely to have been the original one.

² Cf. *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*, p. 445.

veste ostendant. Iram, indignationem, rixas, contumelias, et turpem sermonem caveant; tabernas et caupones evitent nisi necessitatis causa, ac itineris, ubi modeste maneant, ac cito exeant. Et quoties parochus de villa in villam intra suum districtum progreditur palam examinet unum aliquem illius domus in qua diversatur de rebus ad christianam vitam spectantibus.³

5. Sacerdotes ne pro aliis fide jubeant, nec improborum conversationibus intersint, nisi quando ipsorum pia opera sint ibi necessaria; nec pro latronibus et improbis hominibus apud magistros vel magistratus aut alios intercedant, quamvis apud Deum injuste oppressos et contumeliam passos in quantum possunt faveant; curae pauperum et miserabilium charitatis affectu semper invigilent. Cum pastorum aliquis e vita discedat, singuli superstites pro ipsius anima quinquies, et pro episcopo decies sacra misteria quamprimum celebrent; et saepe ipsorum memoriam ad altare habebunt, ac infra octavam Omnium Sanctorum semel pro defunctis episcopis et sacerdotibus, et semel pro laicis hujus dioecesis celebrent.

6. Nullus pastor sollicitet populum ad erogandas elemosinas alicui de cujus conditione certam notitiam et testimonium non habeat. Tales de vita et moribus bonam famam habentes charitativo populi subsidio non exspectata Ordinarii licentia commendentur, qui talia charitatis officia pastorum pietati ac prudentiae relinquit, et nativos temporum iniuria ad paupertatem redactos curae pastorum ac diligentiae commendat.

7. Pastores ecclesiarum diebus dominicis ac festivis moneant populum ut orent pro statu ecclesiae et pro incolumitate superiorum; praeterea spiritualem et temporalem necessitatem patriae, parentum ac benefactorum precibus populi commendent, et privatos etiam nominatim, in gravi periculo constitutos, ac recenter defunctos; sed schedulas nominum diebus singulis in altari legendas servent.

8. Pastores ecclesiarum singulis diebus dominicis ac festivis summarium credendorum et agendorum iuxta praescriptam in dioecesi formulam immediate post evangelium clara et intelligibili voce ac distincte legant, nisi hujus loco unum vel alterum punctum christianae doctrinae explicaverint, vel brevem aliquam exhortationem habuerint, ita tamen ut qui mense integro in alterutra ex consuetis stationibus praefatam lectionem negligenter praetermiserit latae sententiae suspensione Ordinario reservata sit eo ipso irretitus.⁴

9. Curent parochi ut in singulis parochiis sit aliquis qui catechismum doctrinae christianae doceat,⁵ et ut ipsi huic muneri sedulo incumbant;⁶ praesertim diebus dominicis et festivis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes pueros diligenter doceant, ad hoc commonente

³ Ibid., p. 442.

⁴ Cf. *Acta . . . in concilio provinciali*, 1688, no. 6, *Constitutiones*, p. 126.

⁵ Cf. *Statuta pro dioecesi Dublinensi*, 1686, no. 2, *Constitutiones*, p. 89, where the duty is imposed on the 'magister scholae'.

⁶ A reads: 'eique ipsi huic muneri sedulo incumbant'. B reads: 'aut unusquisque ipsi huic muneri incumbent'.

sacra Tridentina synodo,⁷ censuris compellendos si opus sit; et quadagesimali praecipue tempore suos parochianos examinent, et ad sacramenta paschalia non nisi sufficienter instructos admittant.

10. Significetur populo nemini licere ex solo medicorum praescripto carnes et ova diebus ab ecclesia prohibitis manducare extra morbi discrimen, non habita Ordinarii, aut in ipsius absentia parochi, licentia; et moneant abstinendum esse a carnibus in festo S. Marci Evangelistae, nisi venerit in hebdomada Paschae vel in die dominica,⁸ et ab ovis singulis feriis sextis in quibus occurrit jejunium de praecepto,⁹ et a lacticiniis feria 4ta Cinerum, feria 4ta Majoris Hebdomadae, feria sexta in Parasceve; item monendi sunt temporis quo prohibetur solemnitas nuptiarum, nempe a dominica prima Adventus usque ad Epiphaniae diem inclusive, et a feria 4ta Cinerum usque ad dominicam in Albis.

11. Parochi admoneant populum diebus dominicis jejuniorum ac festorum quae infra hebdomadam immediate sequentem servari debent.¹⁰ Festa autem hic subjiciuntur:¹¹

Januarii	Junii
1 Circumcisio Domini	24 Nativitatis Joannis Baptistae
6 Epiphania Domini	29 Ss. Petri et Pauli
31 S. Edani Episcopi	Julii
Februarii	25 S. Jacobus Apostolus
2 Purificatio B.M.V.	26 S. Annae
24 S. Mathias	Augusti
Martii	10 S. Laurentii
17 S. Patricii	15 Assumptio B.M.V.
19 S. Josephus	24 S. Bartholomei
25 Annuntiatio B.M.V.	Septembris
Maii	8 Nativitatis B.M.V.
1 S. Phillipi et Jacobi	21 S. Mathei Apostoli
Ascensio Domini	29 Dedicatio S. Michaelis
2da et 3ta feria Pentecostes	October
Festum Corporis Christi	28 Ss. Simon et Juda

⁷ Sess. xxiv, cap. 4 de reformatione.

⁸ *Statuta . . . ab archiepiscopis et episcopis*, 1670, no. 4, Moran, *Oliver Plunket*, p. 132.

⁹ Cf. *Acta . . . in synodo dioecesana*, 1689, no. 3, *Constitutiones*, pp. 127-8; for detailed legislation on fast and abstinence see *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*, pp. 461-3.

¹⁰ *Ibid.*, p. 442.

¹¹ The list given *ibid.*, p. 459 adds the feasts of St Mark (25 April), St Barnabas (11 June), St Mary Magdalen (22 July), St Luke (18 October) and St Martin (11 November), and omits St Aidan (diocesan patron of Ferns), and Ss. Joseph, Anne, and Sylvester. A marginal note in the manuscript of the 1614 Statutes states that these three were later added.

A notable omission in the list printed above is that of Monday and Tuesday of Easter Week. This must be due to an oversight of the copyists.

November	25 Nativitas Domini
1 Festum Omnium Sanctorum	26 S. Stephani
30 S. Andreas	27 S. Joannis Evangelistae
December	28 Ss. Innocentium
8 Conceptio B.M.V.	31 S. Sylvester Papa
21 S. Thomae Apostoli	

His conjunge cujuscunque parochiae praecipuos patronos.

12. Quilibet parochus habeat olea sacra ante dominicam 2dam post Pascha; et pro baptismo aliisque sacramentis administrandis a pauperibus nihil exigat, ab aliis autem quod sponte offertur vel quod laudabili consuetudine ad honestae sustentationis subsidium praestari solet. Sed cum Summi Pontifices ecclesiae ministris providere cupientes decreverint portionem dictam canonicam quartam, scilicet funeralium seu mortuariorum, de legatis relictis ecclesiis vel aliis piis locis suae dioecesis episcopo solvendam, quartamque rectori ecclesiae in qua quis sepulturam deligit, dempta quarta parte quae episcopo competit, hanc [. . .] parochi sibi liceat vindicare.¹²

13. Quilibet parochus librum habeat in quo singulorum baptizatorum necnon utriusque parentis ac patrinarum ac matricularum nomina et cognomina, diem et horam nativitatis baptizati describat; et ut ejusmodi descriptio ubique conformiter fiat, ab omnibus pastoribus servetur forma sequens: Ego N. pastor baptizavi N.N., filium N.N. conjugum, natum anno Domini et die mensis circa horam . . . Vel si alio nomine susceperint illud exprimatur.

14. Doceant parochi frequenter suos parochianos baptismum a laicis, sive masculis sive feminis, in casu necessitatis ministrari posse ac debere, et singula ad baptismum necessaria seu requisita clare ac distincte explicent, ita ut facile omnes intelligant aquae naturalis perfusione super parte nuda, et formae pronuntiatione, hujusmodi sacramentum conferri a baptizante.¹³ Cum aliquis sub conditione baptizandus est, hac forma utatur: N., si non es baptizatus, ego te baptizo, e contra si es baptizatus, ego te non baptizo etc. Et saepe a pastoribus vis et efficacia sacramentorum pro captu [. . .]¹⁴ et parentum explicetur, et omnes ritus sacramentales, maxime vero ipsae formae sacramentorum, distincte et attente cum debita reverentia pronuncientur.

¹² This very involved provision is far from clear, but the two manuscripts are in such close verbal agreement that it must be presumed they give the text of the archetype. As my colleague, Dr Denis O'Callaghan, pointed out to me, there seems to be some confusion between two separate dues, the 'quarta funeralium' and the 'portio canonica de legatis ad loca pia et ecclesias relictis episcopo solvenda'. In seventeenth-century Ireland the 'quarta funeralium' was the occasion of much dispute, as yet very inadequately studied. Cf. Olden, 'Episcopal Comments on the "Decreta pro recto regimine Ecclesiarum Hiberniae", 1635-6', above, p.5.

The last clause is certainly corrupt in the manuscripts. A reads: 'hanc de re nata parochi sibi liceat vindicare'. B reads: 'hanc a renato parochi sibi liceat vindicare'.

¹³ Cf. *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*, p. 444.

¹⁴ This phrase, contained in A only, reads: 'pro captu jubentum et parentum'. I am unable to suggest a plausible emendation of 'jubentum'.

15. De peccato admoneantur parentes qui consentiant ad baptizandum infantem valide baptizatum, et cum infans conjugum baptizatur, alter fidem Catholicam profitetur, alter non, cum parochus talem infantem de consensu alterius baptizat, et certo sciat alterum conjugem postea curaturum ut infans jam secreto baptizatus rursus baptizetur, doceat quod conjux Catholicus tenetur conjugem suum monere quod filius fuerit jam baptizatus legitime.

16. Si ad confirmationis sacramentum administrandum venerit episcopus, pastores praemoniti subditos suos instruant de iis omnibus quae ad illud digne suscipiendum pertineant, necnon de multiplici utilitate ac effectibus ejusdem; moneant confessionem sacramentalem praemittendam a confirmandis si sint doli capaces; in patrilinos masculorum masculi, in matrilinos feminarum feminae assumantur, ne cognitio spiritualis intercedat quae matrimonium impediatur.

17. Nullus presbiter sive saecularis sive regularis in hac dioecesi confessiones audire praesumat nisi ab Ordinario idoneus iudicatus et approbatus fuerit in scriptis; nec ad confessiones quemquam admittant qui non noverit scire et explicite credere fidei articulos, maxime autem praecipua fidei mysteria, quae sunt, Deum esse trinum in personis et unum in substantia; Filium 2dam in Trinitate personam Deum simul esse et hominem, pro salute generis humani passum, crucifixum, mortuum et sepultum; omnium in hac vita gestorum actuum rationem in districtu Dei iudicio esse reddendam, ac poenam aut gloriam aeternam pro meritis ac demeritis post hanc vitam omnibus esse paratam.¹⁵ Caveant insuper sacerdotes tam saeculares quam regulares a temeritate absolviendi ab haeresi, aut quibuslibet aliis censuris, poenis, aut peccatis, a jure vel ab homine reservatis, aut dispensandi in quovis matrimonii impedimento, absque legitima facultate in scriptis habita, sub poena ad Ordinarii arbitrium infligenda.

18. Inquirant sacerdotes in suis districtibus de Catholicis qui ecclesiae bona possident, et quicumque laici habeant reliquias, ornamenta, calices, missalia, vel alia quaecunque ad ecclesias parochiales aliave pia loca quomodocunque spectantia. Admoneantur ea esse reddenda Ordinario, vel ipsius deputato, sub poena exclusionis ab ecclesiae sacramentis; item sub poena suspensionis latae sententiae ecclesiastici declarentur si quae talia habeant bona ad ecclesias suas non pertinentia.

19. Pastores sub initio quadragesimae populum admoneant de obligatione communionis paschalis cum proprio parochi, et quae ad talem communionem necessaria sunt doceant; nullosque etiam admittant fidei rudimenta ignorantes, et quod sub speciebus sacramentalibus contineatur non intelligentes; et saepe suos moneant de damnabili statu eorum qui raro ad sacramenta accedunt, et obligationem paschalem per aliquot annos negligunt; et tales post ternas secretas admonitiones si non resipiscant et ad ecclesiae obedientiam redeant, publice ac nominatim,

¹⁵ Cf. *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*, p. 449.

habita prius ab Ordinario facultate, ab ecclesia separati declarentur.¹⁶ Et cum tam jure antiquo quam novo constet ad parochum pertinere communionem paschalem administrare, statuitur et ordinatur ut si quis sacerdos, sive saecularis sive regularis, etiam capellanus alicujus nobilis, hanc dare praesumpserit sine expressa parochi vel Ordinarii licentia, sit ipso facto suspensus et insuper puniatur ad arbitrium Ordinarii, ut anno Domini 1685 in provinciali concilio decretum fuit.¹⁷

20. Parochi deferentes sacrum viaticum ad aegros inculcare non omittant, data occasione, aegroti cubiculum accedentes, ut mensa vel tabula aliqua, nitida mappa vel alio mundo linteo honeste ornetur, in qua pixis collocari possit; et quoniam plerumque talia desunt, pastores aliqua secum habeant parata, et omnia in hujus sacramenti administratione ita tractentur ut populi devotio erga illud promoveatur.

21. Parochi sint diligentes circa infirmos, ut eos praeparent ad mortem, hortanturque ne ad extremum differrant confessionem, viaticum, et extremam unctionem, sed potius sensibus rationisque usu integris illud sibi administrari petant, ut ita uberiores eorum fructum percipiant. In dubio an is ad quem parochus advocatus est adhuc vivat, hac conditione in unguendo utatur: si es vivens, per istam sanctam unctionem etc. In una eademque aegritudine ad plures menses perdurante iterate conferri hoc sacramentum nemini debet. Aegroti debito tempore condendi testamenti admoneantur.

22. Omnes parochi toto conatu procurent ut clamores et vociferationes feminarum concomitantium corpora defunctorum impediatur.¹⁸ Missa parochialis diebus dominicis et festivis nequaquam sit de requie sive exequalis pro defunctis. Pastores in suis respective parochiis omnibus injungant nullum favorem, opem, aut auxilium praebere latronibus aut publicae pacis perturbatoribus vulgo *Torys* dictis.¹⁹

23. Nemo se praesentet ad dimissorias litteras ad sacros ordines suscipiendos nisi debito vitae ac natalium testimonio munitus, et prius se sistat examini ad aliquot dies; a curis saecularibus se subtrahat et exercitiis spiritualibus vacet sub pio ac prudente direttore. Nullus parochus aut alius sacerdos, etiam approbatus ab Ordinario, sacramenta aut alia munia sacerdotalia parochis propria intra fines districtus alterius, non accedente proprii parochi vel Ordinarii licentia, ministrabit aut exercebit.²⁰ Vago vel ignoto sacerdoti celebrare non licet, nisi ostensis testimonialibus litteris sui Ordinarii aut superioris.

24. Quilibet parochus in suis limitibus locum aliquem determinatum ac notum habeat, ad quem parochiani in casu necessitatis recurrere valeant, in quo aliquem statuat qui opportune eum admoneat vel advenientes ad eum dirigat, nec ob ullam causam recuset adire infirmum mori-

¹⁶ *Acta . . . in concilio provinciali*, 1685, no. 13, *Constitutiones*, p. 86.

¹⁷ *Ibid.*, no. 14, pp. 86-7.

¹⁸ *Statuta . . . ab archiepiscopis et episcopis*, 1670, no. 5, Moran, *Oliver Plunket*, p. 132.

¹⁹ *Ibid.*, no. 9, p. 133.

²⁰ Cf. *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*, p. 442

bundum. Commoda ac decencia loca pastores habeant ad sacra misteria diebus dominicis ac festivis populo celebranda, adeoque ad praecavendas irreverentias ac tollendos abusos, qui horum neglectu committi noscuntur, unusquisque in sua parochia sacellum habeat ad haec peragenda, prout antehac in provincialibus conciliis statutum reperitur.²¹

25. Observent pastores quod statutum fuit ab archiepiscopis et episcopis Hiberniae anno Domini 1670²² nullos regulares in posterum publice ad altare mendicare debere, nisi sint ex conventu in quo sint quatuor regulares, ex quibus duo sint ad minus sacerdotes, et facile non admittatur regularis ad quaestus publice faciendos nisi fuerit sacerdos ad celebrandum populo propter levamen et solamen parochorum; et tales pastores benigne recipiant si in suis parochiis mendicare consuescant.

26. Ad evitanda gravia damna et incommoda quae ex invalidis et illicitis sponsalibus ac matrimoniorum contractibus oriuntur, frequenter instruat populus de natura et conditionibus matrimonialis contractus, a Deo instituti et sanctificati, et sciant ea quae debent praecedere, concomitari ac sequi talem maritalem conjunctionem; et quamvis sponsalia absente paroco sint valida ac servari debent, aequum tamen judicatur ut semper coram proprio paroco et duobus testibus contrahantur, ad efficacius occurrendum animarum perditioni ac damnationi. Aliis supra dictis incommodis quae sequuntur ex indebito matrimonii contrahendi modo, statuitur et ordinatur, prout antehac sancitum fuit in concilio provinciali anno Domini 1685, ut tam sacerdos ipse, sive saecularis sive regularis, assistens matrimonio, quam ipsimet contrahentes, absque expressa licentia Ordinarii aut parochi, sint ipso facto excommunicati excommunicatione Ordinario reservata.²³

27. Sponsalia non contrahant christianae doctrinae ignorantes, saltem orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum apostolorum, et decalogum; antea [. . .]²⁴ quam matrimonio jungantur parochi impedimenta matrimonii dirimentia et impediencia, saltem maxime obvia, subinde fidelibus declarent et explicant; et sciant sibi non licere vagorum hominum matrimoniis interesse sine Ordinarii licentia.

28. Nullus pastor matrimonio assistat in gradibus ab ecclesia prohibitis sine dispensatione ab Ordinario obtenta vel approbata, qui omnes facultates matrimoniales sibi reservat; et qui contracti sint sine ulla dispensatione vel cum dubia quadam dispensatione ab iis habita de quorum auctoritate ambigitur, admoneantur ut simul non cohabitent donec dispensationem obtineant vel ratam habeant ab Ordinario.

29. Pastor nullos matrimonialiter jungat non requisita parentum, tutorum, vel curatorum, si quos habent, consensu. Raptores feminarum, vel qui consilium, auxilium, vel favorem praebent, ipso facto excom-

²¹ *Acta . . . in concilio provinciali*, 1685, no. 7, *Constitutiones*, p. 85.

²² Moran, *Oliver Plunket*, no. 7, p. 133.

²³ No. 3, *Constitutiones*, p. 83. Cf. also *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*, p. 451.

²⁴ This phrase is contained in A only, and the word between 'antea' and 'quam' is quite uncertain. A reading 'antequam' would seem to give sense.

municati declarantur.²⁵ Connubia Catholicorum cum aliis sectis improbanda sunt et evitanda. Catholici qui matrimonio conjuncti sunt coram parochio et testibus monendi sunt de peccato si rursus coram aliis conjugantur. Habeant singuli pastores librum in quo notabunt exacte diem, mensem, annum, necnon nomina et cognomina duorum ad minus testium qui matrimonii solemnitati adfuerunt. Ante matrimonium sponsalia tribus diebus festivis publicentur.

30. Cumque consuetudo illa adeundi conciones haereticorum et assistendi eorum baptismo necnon contrahendi matrimonium coram ministro haeretico sit scandalosa atque etiam juxta communem doctorum sententiam illicita, ideo omnino prohibetur ne ullus Catholicus in posterum adeat tales conciones, aut tali baptismo tamquam patrinus vel matrinas assistat, vel coram ministro haeretico matrimonium contrahat. Et qui contra fecerit sciat se graviter peccare et casu Ordinario reservato irritum esse, ut antehac in proxime laudato concilio provinciali decretum fuit.²⁶

31. Pastores omnes haec omnia observent et nihil ad altare pronuncient quod populum non aedificet. In suis exercitationibus id potissimum doceant quod ad christianae fidei doctrinam et veram pietatem pertinet, quaeque omnibus scire necessarium ad salutem, annunciando cum brevitate et facilitate sermonis vitam quae quemlibet declinare et virtutes quas sectari oportet ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam assequi mereatur. Ista haec adimplendo auxiliante Domino Jesu seipsum aliosque salvos facient. Amen.

32. Pastores eos casus Ordinario reseratos constitutionibus Fernensibus scire debent, eosque ibi videre licet. Episcopo reserantur sequentes anno Domini 1722:

1. Voluntaria et procurata domorum exustio. 2. Homicidium voluntarium. 3. Procuratio abortus sive animati sive non animati. 4. Percussio patris aut matris. 5. Profiteri vel exercere maleficia, veneficia, divinationes, ceteras artes magicas, non vero magos vel divinatores consulere. 6. Incestus intra gradum 2^{dm} consanguinitatis vel affinitatis. 7. Crimen falsariorum, quo intelliguntur falsi testes coram iudice vel qui falsarii accedunt monetae. 8. Peccatum clerici, cui annexa est irregularitas. 9. Omnis excommunicatio major.

Juxta originale quod est penes Illmum Fernensem, qui et omnia in suprascriptis ordinationibus approbavit, exemplariaque a singulis animarum curatoribus haberi praecipit. Datum in loco refugii 17 Aprilis anno Domini 1722.²⁷

²⁵ *Acta . . . in concilio provinciali*, 1685, no. 12, *Constitutiones*, p. 86. Cf. also *Constitutiones . . . Dublinensis provinciae*, 1614, Moran, *Archbishops*, pp. 452-3.

²⁶ No. 9, *Constitutiones*, p. 85.

²⁷ MS A adds the further note: 'Modus absolvendi ab haeresi habetur in constitutionibus Illmi D. Sweetman. Similis modus habetur in 2^o tomo no. 292 La Crois'. On the next page there is in full the *Benedictio seminum et segetum (Rituale Romanum, tit. ix, c. 3, no. 15, Benedictio seminum et segetum in festo Nativitatis B.M.V.)*.

MS B adds at the end of the text the note in English already cited in the Introduction.